



~~G. H.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

W-59

SIGNAT. 1515 CCCXIII

DISSERTATIO  
DE  
**AERE**  
**CORPORA MVNDANA**  
**TOTALIA AMBIENTE**

---

QVAM  
ADSISTENTE GRATIA DIVINA  
**PRO LOCO**  
IN AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE  
RITE OBTINENDO

HABEBIT

**IOANN. ERNEST. BASILIUS**  
**WIDEBVRG**

PHILOSOPHIAE PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS,  
MATHEMATICVM PROFESSOR SVBSTITUTIVS

R E S P O N D E N T E

**IO. GODOFREDO SZTVPKAY**

*Leutschouia - Hungaro, Stud. Theolog.*

D. V. MARTII, c<sup>o</sup> IO CC LXIII.

\*\*\*\*\*  
IENAE

AERE MARGGRAFIANO.

*Bibl. Regia*  
*Regia*

Digitized by srujanika@gmail.com

Digitized by srujanika@gmail.com

ଶ୍ରୀମଦ୍ଭଗବତ



DE  
**A E R E**  
CORPORA MVNDANA TOTALIA  
AMBIENTE  
*DIS QVI SITIO.*

§. I.

**A**er quidem corpora nostra vndiquaque circumstat, aëremque perpetuo et naso, et ore, et pectore haurimus, nec sine aëre vitam breuissimum per temporis spatium producere possumus; attamen, quid sit aër, adeo euidentia haud est atque manifestum, vt omnium priscorum et recentissimorum sapientiae herorum eadem de hac re sit sententia; quod nouum suppeditat testimonium, quantillum sit, quod scimus, et quod vere scripsiter Peripateticorum sectæ principes: L. II. Metaphys. C. I. *Sicut Vespertilionum oculi ad lumen diei solaris se habent, ita et intellectus animae nostrae ad ea, que manifestissima omnium sunt.* Caussa difficultatis, quae in diiudicanda essentia aëris occurrit, in maxima huius materiae subtilitate quærenda est, ob quam oculorum nostrorum aciem subterfugit, vt nec exhibito perfectissimo microscopio cognosci queat, vtrum sit corpus simplex,

A

plex,

2

plex? an compositum. Commendat quidem Cel. KRATZENSTEIN in doctissimo *Traſt. de Ascensu Vaporum* §. 49. aliquod microſcopium, cuius ope diameter vaporis obſeruari et mensurari poſſit, ſed aërem a vaporibus et exhalationibus ipſem et diſtinguit. Omnis vero cognitione noſtra a ſenſibus incipit, inter quos viſus principalem locum tenet, vtpote cuius beneficio in plurimorum rerum cognitionem deducimur, ideoque, vbi hic deficit ſenſus, eidemque obiectum aliquod ſubtrahitur, maior neceſſario intellectui in cognoscendo diſcultas obicitur.

## §. II.

TULLIUS equidem de Nat. Deorum, aërem vocavit Spiritum ſue ſpiritualem materiam; ſed antiquissimi Philoſophorum principes: HIPPOCRATES, PLATO, ARISTOTELES, et quotquot ex recentioribus, huius placitis nomina ſubſcriperunt, eundem pro elemento habent, ſue principio primo mundi ſublunar. Vocant enim elementum: ARISTOT. L. III. de Caelo, C. III. t. 31. corpus naturale, ſimplex, ſublunare, ex quo mixta omnia componuntur, ita, vt inſit, et in quod ultimum reſoluitur; iſum vero elementum in alia corpora ſe priora et ſpecie diuerſa diuidi nequit. Scilicet corpus vo- cant elementum, vt diſtinguitur a primis rerum naturalium principiis internis, materia nempe et forma; naturale vero corpus, quia ad artificialia non pertinet, ſed in ſe ipſo naturam habet, ſue principium motus et quietis; ſimplex porro dicitur, habitu reſpetu ad corpora naturalia, quea ex hiſ corporibus inter ſe mixtis ſunt compoſita; item ſublunare, vt excludantur corpora caeleſtia, quea et iſa ex iſorum mente ſunt ſimplicia, nec tam en corporis mixti uunionem ingrediuntur, quod ad elementi eſſentiā requirunt, et ita quidem, vt permaneat ſue actu, ſue poten‐tia in eo, cuius eft elementum. Addunt porro, quod corpus mixtum in propria ſic dicta elementa reſolui debeat, cum omnia, quando corrumpuntur, eo redeant, vnde primum orta fuere; ideoque elementum ſicut primum eft corpus ratione compoſitionis, ita et ultimum fit ratione reſolutionis; denique requiritur, vt iſum elementum in illa corpora ſe priora et ſpecie diuerſa diuidi nequeat. Diuīſibile quidem eft in materiam et formam, nec non

non in partes integrantes, sed illae non sunt corpora, hae vero specie non differunt, quod omnes sunt viuis eiusdemque rationis.

### §. III.

Horum elementorum Peripatetici numerant quatuor, *terram* quippe *aquam*, *aërem*, et *ignem*; quem numerum quaternarium triplici potissimum corroborant arguento. Primum quidem desumtum est a quadruplici, quem fingunt, motu *simplici* atque *directo*. ARISTOTELES L. III. de Caelo, C. V. t. 36. et 37. *sursum nimirum simpliciter*, et *secundum quid*; *deorsum simpliciter*, et *secundum quid*. Ex his *terre* tribuunt motum *deorsum simpliciter*, *aqua* secundum quid: *igni* tribuunt motum *sursum simpliciter*, *aeri* secundum quid. Alterum argumentum supponit quatuor qualitatum motiarum differentias. Ibidem C. III. et IV. *gravitatem* quippe *simplicer*, quam tribuunt *terrae*, item *comparate*, quae competit *aqua*, nec non *leuitatem*, quae *simplicer* competere ponitur *igni*, et *comparate aëri*. Tertium denique depromittur ex combinatione secundum naturam quatuor primarum qualitatum. ARISTOTELES L. II. de Generat. et Corrupt. C. III. t. 16. Sunt enim hae quatuor combinationes, *caliditas* et *siccitas*, *humiditas* et *calor*, *frigus* et *siccitas*, *frigus* et *humiditas*. Primam tribuunt *igni*, alteram *aëri*, tertiam *terrae*, et quartam *aqua*. Reliquae enim binae combinationes, *caloris* *nempe* et *frigoris*, *siccitatis* et *humiditatis*, ob contrarietatem sunt impossibilis.

### §. III.

*Aërem* itaque dicunt esse elementum *calidum*, *humidum*, et *leue terram* et *aquam* *ambiens*? ARIST. L. II. de Caelo, C. III. et L. IIII. C. IIII. has enim qualitates *aëri* conuenire euincere volunt. *Calorem* quippe *aëri* tribuunt, non quidem summum, sed moderatum et remissum; quia causa caloris est motus, hic vero in aëre remissus est. *Humiditatem* vero eiusdem summam statuunt, cum *humidum* sit iuxta Aristotelem L. II. de Generat. et corrupt. C. II. tit. 9. quod *difficiliter proprio*, alieno autem facile continetur termino; eiusmodi ergo *aér* est, cum sit maxime tenuis et per intima rerum permeabilis. *Leuem* denique etiam *aërem* esse adserunt, non absolute, sed comparative;

respectu aquae et terrae, quarum utriusque supereminet; igni vero substernitur.

### §. V.

Ipse quidem *Stagirita* haud dubitauit enumeratis quatuor primis corporum sublunarium elementis, quintum ulterius, sextumque in declaranda genesi corporum etiam caelestium et animitorum adiungere. L. enim III. de Caelo τοτε συόλον ἐπανω νερα μόρια αἰδής ad elementorum classem refert, per illudque adeo nihil aliud intelligit, quam aetherem s̄ materiam caelestem, quod luculenter pater ex L. de Mundo C. II. vbi dicit, aetherem esse elementum diuersum a quatuor; (puta vulgaribus) et C. III. expresse scribit; *quinq̄e sane elementa in quinque regionibus, ita sibi inclusa, vt minus semper a maiori comprehendatur, dico autem, terra quidem in aqua, aqua in aere, aere in igne, ignis autem in aethere totum mundum constituant.* Neque vero in hoc quinario elementorum numero Philosophus noster acquieuit, sed et sextum iisdem adiungere ipsi placuit, quod manifestum est ex L. II. de generatione animalium C. III. vbi scribit: *omnis anima, materialis nempe, nam de mente humana ante dixerat. hanc forinsecus ingredi, et solam esse diuinam, potentia participare videtur diuerso ac diuiniore corpore quam sunt, vulgo, vocata elementa.* Quemadmodum autem nobilitate et ignobilitate ab inuicem differunt animae, ita etiam differt haec, ab ipsis participata natura. *Omnium enim spermati inest istud calidum, illud vero non est ignis, nec talis potentia, sed est spiritus in semine, et spumoso, feminis corpore, inclusus ac circumclusus, et natura quaedam in spiritu elemento stellarum analoga.*

### §. VI.

Ex his omnibus luculenter patet, ARISTOTELEM aërem et aetherem, pro elementis primis, iisdemque ab inuicem diuersis habuisse. Nec alia mens fuit solertissimo CARTESIO, qui aetherem ad secundam elementorum suorum classem retulit, quae diuisa est in particulas sphaericas, valde quidem minutas, attamen certae et determinatae quantitatis, indivisibiles in alias multo minorēs; aërem vero ad tertium, quod fingit, elementum refert, constans

stis partibus, vel magis crassis, vel figuris minus ad motum aptas habentibus. Nihil aliud enim aërem esse docet (Princip. Philos. P. IIII. nr. 45.), quam congeriem particularum tertii elementi tam tenuium et a se mutuo disiunctarum, ut quibuslibet motibus globularum caelestium subsequatur, ideo illum esse corpus fluidum et per- lucidum, et ex minutis cuiuslibet figurae posse componi.

## §. VII.

Consentient quoque in eo plerique recentiorum cum laudatis modo priscae sapientiae antistitibus, quod aëris sit materia fluida ab aethere et reliquis veterum elementis diuersa, nec purum eundem vili reperiendum, sed multis vaporibus et exhalationibus corporum terrestrium resertum. Nec multum inde recedit doctissimus PERAVLTIVS in Tr. Gallico, qui prodiit anno 1680. sub tit. *Eſſais de Physique*. Hic enim T. I. aërem nos ambientem supponit ex tribus partibus esse compositum, praeter vaporum et exhalationum effluvia, primam vocat aërem crassorem, alteram, aërem subtilem, et tertiam denique aetherem. Primam dicit esse congeriem corpusculorum mediocris subtilitatis et ponderis, atque insignis compressibilitatis; secundam, corpusculorum, multo subtiliorum, et ponderosiorum, sed prorsus incompressibilem; tertiam denique omnium subtilissimam et ab omni pondere deſtitutam.

## §. VIII.

Quandoquidem vero entia praeter necessitatem haud sunt multiplicanda, nec vlla nos vrget necessitas, supponere materiam simplicem, a vaporibus et exhalationibus liberam, et ab aethere diuersam, haec veterum et recentiorum placita, de elemento aëris, pro meritis habemus figuris, eiusdemque loco aetherem posse substitui persuasi sumus. Hic enim cum totum replet vniuersum hunc orbem terraicum ambit, vaporibusque ac halitibus ex eodem continuo emanantibus, ad certam distantiam repletur, quam caeli regionem *Atmosphaerae* vocamus, cum sint isti vapores particulae subtilissimae ideoque iure meritoque, pro atomis habendae, et sic regio, in qua continentur, haud incommode di-

ci poterit *Atomorum sphæra*. Eadem fuit sententia Cel. SCHORI, in *Technica curiosa*, p. 222. Cui adstipulatur solertissimus caeli scrutator IO. HEVELIUS, senator Dantiscanus, in *Cometogr.* L. VII. p. 335. vterque enim vna cum aliis docet: aërem esse aethereum effluuiis terraquis refertum, et quasi infectum.

## §. VIII.

Hoc vt evidentius pateat, aërisque natura vna cum qualitatibus eiusdem praecipuis facilius atque exactius demonstrari queat, ante omnia de essentia aetheris, et naturali constitutione effluuiorum nonnulla praemittuntur sunt. *Aetherem, s. auram aetheream vocamus, materiam caeli, quae immensum hoc spatiū mundanum, in quo planetae mouentur, item sol, et fixae stellae omnes, quae enormi intervallo, neque per obseruationes a nobis cognoscendo, a terra distant, continentur, vndiquaque replet.* Existentiam huiusmodi materiae caelestis subtilissimae in dubium quidem vocare ausi sunt nonnulli ex recentioribus caeli scrutatoribus, praincipue in Anglia ex metu resistentiae, quam motui planetarum eiusmodi materiam necessario oppositum esse autumnant. Sed salua res est, lucis enim tam directae solis et fixarum, quam reflexae, quae a planetis per vniuersum mundi systema vndiquaque diffunditur rapidissimus motus eiusmodi materiam subtilissimam intermedium necessario requirit; cum nulla in distans actio, per principia physica et mechanica, locum habeat. Siue igitur haec materia emitatur ex corporibus lucidis, per radios emanantes, totumque vniuersum replete, siue statim a prima creatione ad compleendum vniuersi spatium producta sit, sufficit, quod necessario existere debeat, et per naturam suam, ulterius nunc indagandam, ita comparata sit, vt motui planetarum remoram obiciere neutrā quā possit.

## §. X.

De naturali huius aurae aethereae constitutione eo difficilis rursus est iudicare, cum et ipsa ob subtilitatem immensam, oculorum aciem, et omnem sensum subterfugiat, nec opus est hic loci plura de diueris philosophantium placitis adferre, cum haud

53 ) 7 ( 54

haud mereantur, ut longa ista oratione prosequamur. Haud multum interim a scopo aberrarunt, ex antiquis sapientiae antistitibus. ANAXAGORAS, DEMOCRITVS, PYTHAGORAS, ZENO, LEVCIPPVS, et ipse etiam diuinus PLATO in TIMAEO, qui igneam esse caeli materiam perhibuerunt. Nihil quippe obstatre videtur, quo minus aetherem dicamus ignem, sed elementarem; tametsi enim in statu naturali, nec luceat, nec ardeat, quae proprietates igni culinari et naturali tanquam corpori mixto conueniunt; neutiquam tamen eidem, quando a sole fortiter commouetur, in radiorum forma propellitur, atque in arcu spatum colligitur, vrendi et lucendi vis denegari potest, quod vitra et specula caustica abunde docent. Praecipuae autem qualitates aetheris sunt sequentes: 1.) *Fluiditas*, quia solem et omnes planetas, ut et fixas, fluminis instar, circumdat, solisque et fixarum lumen rapidissime ad oculos nostros defert. 2.) *Raritas*, ob quam in omnes vacuitates, et angustissimos poros corporum sese insinuat; quapropter *immortalis* Newton: Qu. 22. edit. secundae opticae de A. 1719. subiecta, haud sine ratione iudicat fieri posse, vt aether purus 700,000 partibus magis sit rarus, quam aer, et Cel. EVLERVS, in Diff. de relaxatione planetarum p. 249. adductis rationibus probat: densitatem aetheris, ab aeris densitate 400,000,000. partibus superari. 3.) *Pelluciditas*, cum enim sit ipsa materia lucis, ipsique lucis radii ex partibus aethereis constent, quarum subtilitas, omnem nostram cogitationem, transcendit, opacitatem corporibus lucidis induere nequit, sed licet fixae stellae per infinita spatia ab oculo nostro remotae sint, nihilominus per aetherem transparet, cum nebulae nostrae vix ad unum alterumque stadium expansae, ipsius solis conspectum nobis intercipiant.

#### §. XI.

Quarta denique et palmaria aetheris proprietas est *elasticitas* sive conatus sese versus omnes plagas expandendi, cum facultate sese ex statu quodus violento in naturalem sua sponte restituendi. De hac enim ipse MOSES in historia creationis Genes. C. I. testatur, ubi docet: fecisse Deum expansum, quod diuidat aquas, hoc est chaoticam primitus ex nihilo productam materiam, ex qua deinceps

ceps corpora cuncta mundana originem traxerunt, et vocasse hoc  
expansum caelum, vastum nimirum illud spatium, in quo sol cum  
planetis et vniuersae fixae continentur. Indidit ergo materiae,  
quae vniuersum caeli spatium replet, vim sive conatum, quo ma-  
teriam corporum mundanorum, aquas nimirum infra caelestes,  
materiam fc. orbis terrauei, et supra caelestes, reliquorum cor-  
porum mundanorum, ab inuicem distinguere valeat. Exserit enim  
se haec vis per expansionem, qua aether se se per totum mun-  
dum diffundit, et quaelibet spatia vacua, vtut minutissima, replet,  
vi cuiilibet facile sine resistentia cedit, cum grauitate nulla sit pree-  
ditus, sed, quam primum externa resistentia cessat, se ad prior-  
rem locum restituit, siquidem subtilissima haec aura omnibus se fi-  
guris facile accommodat, et spatiis quibusvis vacuis insinuat. Tam-  
etsi vero ad immensa spatia hic aether se expandat, neutiquam  
tamen in infinitum extenditur, sed eadem dextra omnipotens creatoris,  
quae oceano terrestri posuit terminos, quos fluctus  
transcendere nequeunt, aetheri quoque constituit fines, vltra quos  
expandere se nequit valet. Caeterum, an et plures aetheri  
competant proprietates, quas cel. ROBINSONIVS in *Dissert. de*  
*Aethere anglicano sermone conscripta* eidem tribuit, quod nempe sit  
attractionis et grauitatis caussa, item, quod illuminatio, reflexio,  
refractio, et inflexio radiorum inde fluat, altioris sunt indaginis,  
cum meritis nitantur hypothesibus, hic loci non examinandis, pree-  
sertim quia ad nostrum institutum haud pertinent.

## §. XII.

Praeter aetherem vero ad aëris constitutionem et generatio-  
nem concurrunt effluvia corporum mundanorum, cum sit aëris  
aether effluuiis corporum mixtus §. 8. Nullum quippe corpus mix-  
tum datur in immensa hac rerum vniuersitate, quod non continuo  
emitat particulas subtiliores, quas effluvia sive exhalationes voca-  
mus. Sunt enim corpora queuis etiam durissima vndiqueaque por-  
ris referta, quod pluribus probat, multisque experimentis confir-  
mat *illustris*. BOYLE in doctissima Dissert. de corporum naturalium  
porositate, aliquie *experimentatores physici*, vt hoc iam sit extra  
controversiam positum, et actum agerem, si prolixius hanc veri-  
tatem

¶ ) , ( ¶

tatem exponere et demonstrare velim. Sunt autem hi pori interstitia vacua a materia eiusdem corporis, haec ergo cum nihil in iisdem resistat, aether terram vndique ambiens, ob elasticitatem suam ingreditur, (§. 10.) cumque ex particulis constet solidissimus, vt pote indiuisibilis, ob eandem elasticitatem continuo aduersus latera eorundem pororum agit, ab iisdemque per fortiorum attritum subtiliores particulas abradit, quae effluvia, sive exhalationes constituant.

S. XIII.

Participant ergo haec effluvia de natura et qualitate corporum, quorum ramenta existunt, quia sunt eorundem particulae. Hinc retinent exhalationes aquae vim humectandi, ignae inflamabilitatem, terrestres grauitatem caeteris maiorem et siccitatem, sulphureae cum inflammabilitate odorem, salinae solubilitatem in aqua, nitrosae insignem vim expansiunam, quam alias in igne habere deprehenduntur, aliaeque alias proprietates, pro indole corporum sive simplicium, sive magis mixtorum, ex quibus prodierunt. Verbo, talis est et totuplex exhalationum natura, quotuplex est istorum corporum, quibus ortum et natalem debent differentia, quod ex tribus capitibus probat modo laudatus **BOYLE** in *Exercitatione de natura determinata effluviorum*. Et primo quidem ex eo, quod haec effluvia condensatione alioue modo reduntia, eiusdem sunt naturae cum corporibus, vnde promanantur. Secundo e discrimine, quod quandoque in sensibilibus eorundem qualitatibus obseruantur, v. g. in odore; tertio ex consideratione effectuum, qui ab iis in alia corpora, praeterquam sensuum nostrorum organa exseruntur, quemadmodum v. g. vis humectandi vaporum, variis temporibus, variisque in locis pro obiectorum diversitate varie se exserit, noctibus quippe aestiuis et tempore antelucano, in rore, quo agri, et prata libero aeri exposita humectantur et madefiunt, item in lignis, chordis, funibus, humorem imbibendi capacibus, se exserit contrahendo, expandendo, abbreviando, contorquendo, quod ansam quoque dedit variis instrumentis arte paratis, quorum ope gradus humiditatis aeris metimur, quaeque ab hoc vsu hygrometra vocantur.

B

tur.



tur. Interim in tanta exhalationum varietate haud incommodè duo summa earundem genera constitutere licet, unum sc. humidarium, quod vaporum, alterum siccum, quod halitum nomine venire solet.

## §. XIII.

Horum itaque vaporum et halitum, quodvis corpus naturale immensam quotidie emittit quantitatem. Referente nimirum Cel. DV HAMEL in *Hist. Reg. Scient. Acad.* insignis et Physicus, et Mathematicus, et Medicus. PER ALTIUS anno 1670. obseruauit, mafsum aquae 4. librarum intra octodecim dies per exhalationes amississe quartam sui ponderis partem; et iuxta obseruationes et calculum *illustris SANCTORII* in *Medicina statica* quilibet etiam homo quotidie emittit tantam effluuiorum copiam, quae septuaginta vniarum pondus habet. Similiter et vegetabilia, vt herbae, flores, fructus, nec non aquae flagrantes, spiritus, olea imprimis destillata, balsama, cadasuera per ingens spatium odorem ideoque et effluvia spargunt. Digna imprimis est commemoratione *DYGBEI* obseruatio, ad quam *STVRMIVS* prouocat, in *Physica eclecticæ et hypothetica* L. I. c. de *odoribus et saporibus*: odorem quippe roris marini, se ex ora maritima Hispaniae per 30. leucas et amplius esse expertum, quod et peregrinantes, qui nauigio insulae Caiennæ appropinquarunt, de suauissimis effluviis et odoribus confirmant, sibi obuiam factis. Haec singula, vna cum aliis hanc in rem factis experimentis abunde docent; subtilissima esse corporum naturalium effluvia; nec eximenda hic sunt corpora quaevis etiam durissima, siquidem et lapides solidissimi nec non vitra, quando tornantur, tantam de se spargunt effluuiorum copiam, vt odore percipientur; quod variis experimentis demonstrat. *Celeb. VATERVS* in *Physica experimentalis* Sect. III. Cap. 1. Omnes igitur vapores, cuiuscunque sint generis, cum aethere terraqueum hunc orbem ambiente mixti, aërem vulgo sic dictum constituunt.

## §. XV.

Sed queritur potissimum, nec vna eademque solertissimum naturae scrutatorum mens est: *qua ratione haec vno fiat?* quod nempe vapores, ex intimis corporum poris egrediuntur altius, super terram ascendunt, ibidemque aetheri permiscetur. Ex nostra sententia, (aliorum enim placita, et doctissimas circa hanc rem meditationes, hic adducere et examinare huius instituti ratio haud patitur) sufficit pro explanando hoc phaenomeno naturalis aetheris elasticitas: ob hanc enim aether sese immiscat particulis per continuam atomorum solidissimorum tritaram abrahis, easdemque magis magisque distendit, donec ob sui copiam in angustioribus poris locum haud amplius inueniant, ubi elasticitati aetheris cedere coguntur, ergo altius evehuntur reliquo corpore suo, aetheri istud circumstanti permiscetur. Sed nec hic elasticitas aetheris agere cessat. Sicut enim intra corpus ipsum nouas continuo particulas tritura sua abradit, sic et extra illud effluvia promota magis magisque atterit, et distendit, ut magis attenuatae et rariores, idcoque et leuiiores, succendentibus subinde crassioribus locum cedere, et altius ascendere cogantur, non quidem motu rectilineo, nec semper aequabili, et uniformi, sed vagabundo, nunc celerius, nunc tardius, pro varia particulorum ac circumstantiarum condizione. Tanta enim harum bullularum, in quas vapores attenuantur est raritas, ut per experimenta Muschenbroekiana diameter vnius bullulae  $\frac{1}{20400}$  digitii parisiensis non excedat. *Essai de Physique* p. 696. Accedit deinceps vis radiorum solarium, quibus circumstant aether fortius commouetur, ideoque incalscit (quoniam a celerrima agitatione aetheris calor producitur). Hinc vapores in aethere contenti, cum eodemque fluidum subtilissimum constituentes, magis adhuc rarefiunt et expanduntur. Quemadmodum liquores vaculis excepti, et in loco calido expositi majus in illo occupant spatium. Sic aqua v. g. in olla contenta, quo magis incalscit, eo altius assurgit, et tandem effluit. Spiritus etiam in thermometro altius subito eleuator, quam primum instrumentum aquae calidae immititur, aut halitus oris aliquaque calor accedit. Fluida etiam specifice leuiora, in specifice grauo-

grauioribus assurgunt, vel potius ab his, ob praeualentem gravitatem eleuantur. Similiter etiam vapores terrae propiores cum sint crassiores ideoque specificē grauiores, magis per aetheris elasticitatem atque calorem attenuatos ergo et leuiores, in altum propellunt. Quo magis enim rarefiunt haec effluvia, eo magis imminuntur eorum particulae, ergo et pondus eorum minus euadit. Decrescit quidem cum magnitudine vis externa, quae corporibus sese applicare eademque eleuare potest, nimirum elasticitas aetheris, quae in superficies, quas ambit, corporum agit, ut sint vires eleuantes in ratione superficierum, (hoc est, si corpora sphaerica fuerint, aut similia) ut quadrata diametrorum, insimul vero et pondera eorundem corporum imminuantur in ratione cuborum istorum diametrorum. Ideoque vis eleuans imminuta ad imminutum pondus sese habebit ut 100 ad 1000, sive 1 ad 10. Sunt ceteroquin et aliae caussae, eleuationem haud parum promouentes, ut propter motus et ventus. Experientia enim docet: quodcumque corpus in motu constitutum, maiori agere impetu, quam si ipsum sola vi agat, vel premat, quemadmodum corpora satis crassa in vase aqua repleto, motu aquae eleuantur, quae solo pondere aquae eleuari non poterant; ideoque et aether vi radiorum solariū commotus, fortius eleuat vapores, quam sola elasticitas ipsius valebat. Similiter et ventorum impetu crassiores terrae pulueres magna copia in altum abripiuntur, multo magis itaque leuiores corporum exhalationes eleuari poterunt.

## §. XVI.

Vocamus hanc coeli regionem, in qua aether vaporibus mixtus, h. est aer continetur atmosphaeram §. 8. cuius tres vulgo regiones constitui solent. Inferior ad eam altitudinem [extendi] communiter creditur, ad quam radii a terra reflexi pertingunt; sed minus commode, radios enim solis a terra reflexos ad lunam er regiones supralunares pertingere manifestum est ex lumine lunari secundario, quod obseruamus in primis post, et ultimis ante noctilunium phasibus. Rectius ergo terminus infimae atmosphaerae regionis ponи poterit, ubi radii solis a terra reflexi, ob maiorem diuer-

diuergentiam, omnem calorem deponunt; hinc et media, quae inferiorem atmosphaerae regionem excipit, aeris regio frigidior est, cum sit radiis solum directis peruia, idcirco etiam meteora ibidem generari creduntur; dum vapores isthie per frigus condensantur, et in nubes cœunt. Supremam denique aëris regionem occupant halitus et vapores subtilissimi, ab aetheris vi elastica et pressione densiorum effluuiorum in infima et media regione eo usque eleuati. Neutquam enim omnes vapores ad eandem altitudinem eleuantur, sed cum in fluido grauior, leuius eo usque faltum euehatur, donec specifica eius grauitas et resistentia vi prementi et pellenti istius aequalis fiat: crassiores etiam vapores ad istam solam regionem eleuari possunt, in qua elasticitas aëris per calorem solis ex collectione radiorum reflexorum aucta, nec non specifica grauitas inferioris aëris resistentiae eorundem aequalis, vbi vel quiescunt, vel altius ascendere nequeunt. Neque tamen altitudo, ad quam vapores ascendunt, iis omnibus, neque omni anni tempore iisdem vel similibus eadem esse potest, quia diversi vapores diuersam habent grauitatem tam absolutam, quam specificam, et diuersis anni temporibus calor quoque diuersus est. Leuiores ergo vapores ad maiorem a grauioribus propelluntur altitudinem; aquei cum sint reliqui crassiores, experientia teste, raro vel nunquam ultra semimilliare germanicum supra terram ascendunt, quia spectator in cacumine montis eiusmodi altitudinis constitutus, nubes omnes sub suis conspicit pedibus caelumque semper habet serenum. Tanta igitur ponit etiam vulgo solet inferioris atmosphaerae regionis altitudo. Quousque vero media pertingat, difficulter definiri potest, cum nullum sit certum indicium, unde haec altitudo cognosci queat; et inter meteora, quae in ista generantur, unum altero sit sublimius. Ultimae vero ac superioris terminos B. WEIGELIUS ex crepusculorum durationibus, ad quatuor, HALLEIUS vero in Anglia ex phoenomenis aurorae borealis, quae eodem tempore per viuerosam Europam, et in aliis terrae partibus non nunquam conspicua est, ad octodecim milliaria promouendam esse statuit.

## §. XVII.

Geminam igitur demonstrauimus esse posse cauſam eleua-  
tionis vaporum in atmosphaera, elafficitatem nimirum aetheris  
pro diuerso caloris gradu, nunc maiorem, nunc minorem, ma-  
ioremque grauitatem specificam vaporum inferiorum p[er]e supe-  
rioribus. Hinc procul dubio repetenda est ratio, cur remoto  
aere crassiore per exantlationem, ex globo ad aliquam partem aqua  
replete, admotoque deinceps eodem globo igni, donec aqua  
ad coctionem usque effervescat, nulli vapores in globo animad-  
uerti queant, cum perfecte pellucidus maneat haerentibus efflu-  
uiis ad superficiem aquae, quam primum vero aer admittitur,  
globus integer aere repletus conspicitur; certo indicio solam  
elafficitatem aetheris aquam in vapores quidem resoluere, sed  
haud sufficientem esse ad eosdem ultra aquae superficiem eleuan-  
dos. Ex quo phaenomeno lux affunditur asserto Mosaico Ge-  
neseos C. II. v. 5. et 6. *Deus nondum pluerat super terram, sed  
vapor ascendit e terra, irrigabatque uniuersam superficiem terrae.* In principio enim, postquam dextra omnipotens creatoris caelum et terram ex nihilo produxerat, aether poros terrae per-  
means vapores quidem, dicta superius ratione produxit, sed hi,  
cum crassiores essent, ad superficiem terrae solum haerebant, nec  
ultra inferiorem atmosphaerae regionem per solam aetheris elaf-  
ficitatem tam cito eleuari poterant; pluvia vero nubesque plu-  
uiolae in media eiusdem atmosphaerae regione generantur, ex  
communi physicorum sententia, vbi ob frigus ibidem regnans con-  
densantur, ideoque incremente pondere inde in inferiorem re-  
gionem descendunt, vbi cum haec sit calidior rursus per calorem  
resoluuntur et guttatum decidunt in terram. Vapor itaque aethere  
vi eius elaffitatis, per calorem, tum solarem, tum ignium subter-  
raneorum auctae a terra in principio educiſſus, nec ultra infimam  
regionem ascens[us], per frigus nocturnum conſtringebat et in-  
ſtar roris vel pruinae decidit terramque humectauit. Quemad-  
modum et hodie noctibus aestius et autumnalibus frequentius  
obſeruamus; donec tandem euaporatione terrae continuata haec  
effluvia circa terram accumularentur, nouaque continuo crassio-

ra ascenderent, quae coniunctis viribus cum aethere elasto' le-  
niora et rariora altius sensim sensimque in medium et superiorem  
atmosphaerae regionem eleuarent.

### §. XVIII.

Caeterum et hoc inde manifestum est, corpus quodlibet propria circumdari atmosphaera, dum continuo sua effluvia emittit, quae cum aethere circumstante vniuntur, aëremque constituant, qui pro diuersa corporis substantia et qualitate amplius vel angustius occupat spatium. Quo subtiliora nimis-  
rum et leuiora ista sunt effluvia, vt elascitati aetheris minus  
resistant, sive quo amplius diffundi queunt, quod non fit  
extemplo sed successiue, quia eadem effluvia ex corpore evapo-  
rante emissâ in vicinia istius densiora adhuc sunt et graviora, ideo-  
que per continuam actionem aetheris impellentis sensim sensimque  
magis attenuantur, et fusus per circumstantem aetherem disper-  
guntur. Neque pura haec est atmosphaera, nec solis particulis  
eiusdem corporis referta, sed et alius insuper grauioribus, praeci-  
pue quae ob fluiditatem suam istis facile admiscetur, abundans.  
Hinc et noxia valde est in morbis præcipue pestilentialibus, atque  
malignis, ad aegrotorum leuum adpropinquatio, quia atmosphae-  
ra aegrotantium infectorum effluviis valde nocuus referta, nisi  
suffitu aliis remedii diluatur et purificetur.

### §. XVIII.

Extra hanc terrae atmosphaeram purissimus aether spatium mun-  
danum vniuersum sive caelum occupat, neutquam ergo solitariam  
terram aër ambit, sed reliqua corpora mundana, sive sint lucida,  
sive opaca, huiusmodi atmosphaeris inuestita compertum est, post-  
quam tubus belgicus inuentus caeloque admotus fuit, varias  
subinde maculas inconstantes atque fugaces in Marte, Ioue, et  
ipso etiam lucis fonte, solari disco, oriri, et mox iterum eu-  
nescere detexit. Sunt enim haec corpora caelestia, quod obserua-  
tiones docent, neutquam, vt Peripateticorum schola creditit,  
simplicia, sed mixtionibus, mutationibus et corruptionibus ob-  
noxia,

noxia, et idcirco terraquo nostro quoad partium heterogeneitatem simillima; ex solidis et liquidis nimirum partibus composita licet forte naturalis materiae eorundem constitutio a terrestri diuersa sit. Aether itaque eadem ambiens et permeans in poris eorum eandem exercet vim elasticam, eandemque habet efficiaciam, quam in corporibus terrestribus demonstrauimus. Effluvia ergo illa cuiuscunq; sint naturae, aetheri ambienti permiscentur, aeremque constituant. Ex his vero sicut in nostra atmosphaera ex halitibus et vaporibus generantur densiores massae, nubibus aliquis meteoris nostris haud dissimiles, quae partes istorum corporum caelestium, quas tegunt, obscurant, et ideo nobis macularum instar comparent. *Venerem* ambientis atmosphaerae vestigia a pluribus in nupero transitu huius planetae per solem esse animaduersa, obseruationes docent. De *Martis* etiam atmosphaera nos dubitare non sinunt occultationes fixarum posse hunc planetam, in quibus fixae nonnunquam disperant, quando sex minutorum interusso, a margine Martis adhuc distant, quemadmodum cel. CASSINI, vt refert du HAMEL Hist. reg. scient. Acad. ad an. 1672. obseruauit, in stella aquarii, qui in dicta a Marte distans, adeo lumine suo inminuta, vt nec oculis nudis, nec telescopio minore pedibus quinque distinguat poterit, cuius phaenomeni nulla alia ratio potest dari, quam, quod atmosphaera Martis radios fixarum citius intercipiat; quam corpus ipsum. Imo, nec ipsos satellites Louis aere ambiente sive atmosphaera destitui, docet obseruatio eiusdem modo laudati CASSINI de Anno 1678, quando satelles primi inter solem et Iouem ponebatur: neque tamen umbram eiusdem in disco Louis vir ACUTISSIMVS conspicere potuit, quae alias in tali situ satellitis instar nigrantis maculae comparere sollet, vnde colligit ipse atmosphaeram huius satellitis eo tempore crassioribus effluviis fuisse refertam, in quam radii solis incidentes fortiter refracti umbram satellitis dilacerarunt, vt eius vestigium in Ioue nullum fuerit conspicuum. Similiter nec Iouem ipsum atmosphaera carere ex eo colligitur, quod teste HEVELIO Selegograph. C. VII. diuersa satellitum magnitudo obseruatur, quando nimirum hae lunae Jouiales in vltiori parte Louis verfantur sphærae que

aeque eius vaporosae obiciuntur. Iстic enim radii istorum incident in densorem Jouis atmosphaeram conuexam, in qua fortius refracti maiorem visionis angulum in oculo constituunt, ideoque satellitum corpora maiora ibidem videntur, licet longius, eo tempore, a terra distent.

§. XX.

Quod solem attinet, fere omnium et veterum et recentiorum physicorum et astronomorum communis est sententia, illum corpus esse igneum, quia proprietates ignis, quae sunt lux et calor, ipsi conueniunt. De luce splendidissima testatur claritas diuina, et de ardore vitra et specula vitoria; quorum stupendi effectus recensentur passim in *Aëris erud. Lipf. 1687. Mensa Ian. item de anno 1691. et Gallicis. Journał des nauans T. I. p. 331. et T. VII. p. 322.* Antiquitus vero hunc ignem solarem esse purissimum, et aetherem concentratum autumnabant, plerique caelestis doctrinæ periti. Postquam vero sub initium saeculi superioris tubi astronomici sive telescopia soli admota, haud dubie compertum est, hunc mundi oculum, non solum componi ex partibus solidis et fluidis, magis quippe minusue lucidis; sed etiam discum eiusdem apparentem subinde obscurioribus maculis, luculis et lucentibus faculis esse obnoxium, quas pro nubibus, nebulis et meteoriis igneis habendas esse, fideialis scientiae antistites agnoscent, et colorum, figuræ, magnitudinis variabiles aliaeque apparitiones haud dubie confirmant. Est autem color haud perfecte niger, sed vt plurimum fuscus, qualis nubium nostrarum esse solet, quia porositas non omnem radiis transiuncti precludit, figura autem varia et irregularis, magnitudo inconstans, et apparentia nunc breuior, nunc diuturnior, quaedam etiam in medio solis disco in conspectum prodeunt, et antequam occidentalem limbum attingerint, evanescunt. Hinc ATHANAS. KIRCHERVS in mundo subterraneo L. II. C. IIII. refert: solare corpus ope tubi a se esse conspectum asperum, et inaequale, ex quibusdam partibus firmioribus, maximam vero partem fluidioribus constans; liquidiores apparuisse instar igniti oceani, magnis ignitorum fluctuum motibus atque agitationibus iactari, ingentemque nigricantium fuligi-

C

fuligi-

fuliginum copiam ostendere. Quicquid de eo sit, hoc saltem  
abunde manifestum est, aetherem solari corpori circumfusum,  
multis crassioribus particulis, sive sint fumi et fuligines, sive alterius  
generis effluvia, esse refertum, quem proinde aërem sive  
atmosphaeram haud incommodè dixeris. Ipsae enim lucidae par-  
tes in corde caeli non constant ex igne elementari s. aethere con-  
centrato, sed materia quadam combustibili, quae, dum ardet, in  
subtiliores partes resolutur, solidasque partes, quas attingit, et  
permeat, insimul dissoluit in atomos, qui per aetherem circum-  
stantem elasticum in sublimius tolluntur, eidemque permixtae at-  
mosphaeram componunt, quae pro diuersa exhalationum, qui-  
bus referta est, copia, nonnunquam densior, aliquando subtilior  
existit. Hinc procul dubio oritur, quod solis facies quandoque  
splendore orbata pallidaque mortalibus appetet, tametsi terrae  
atmosphaera serenior existat, quod iam antiquis temporibus, non  
semel, sed saepius contigisse, annalium scriptores testantur. Simile,  
nimirum quid dictatore CAESARE occiso obseruatum esse Man-  
tuanus vates narrat, qui L. I. GEORG canit:

*Sol etiam extincto miseratur Caesare Romam,  
Cum caput obscura, nitidum ferrugine texit,  
Impiaque aeternam timuerunt secula noctem.*

Ipse quoque CLEOMEDES Graecus autor, qui paulo post  
*saluatoris* nostri tempora scripsit, in eleganti *de circulis caelestibus*  
opere L. II. asserit, solem saepenumero maculatum, aut cruentum,  
aut flauum visu apparere, et circa ipsum haud raro tanquam spi-  
ras nebulosas videri. Putarunt quidem sagacissimi huius aevi вра-  
niae cultores, haec talia phoenomena, pro meteoris aeris esse ha-  
benda in nostra atmosphaera positis. Sed parallacticae leges hoc  
neutiquam permittunt, infinitis ista fere stadiis a sole remouere.  
Sunt et alia insuper argumenta, quibus peritissimi rerum natura-  
lium scrutatores, atmosphaeram solarem stabilire, solent. Acu-  
tissimus KEPLERVS in Epit. Astron. Copern. L. I. p. 3. huc re-  
fert utriusque aurorae, et matutinae et vespertinae ortum, faci-  
liusque

liusque eundem, a materia lucida solem ambiente produci posse existimat, quam ex solius orbis solaris luce in aëre nostro reper-  
cussa. Referunt etiam hoc nonnulli splendorem rubentem et flam-  
meum peripheriam solis a luna totaliter obscurati integrum ambi-  
entem, qui impedit, quo minus sol in eiusmodi obscurationibus  
profundissimis submergatur tenebris cimmeriis, cuius pheno-  
meni aliqua exempla adducit modo laudatus KEPLERVS in L. de no-  
na stella serpentarii p. 115. Addi his vterius potest lumen zo-  
diacale, quod ill. CASSINI senior anno superioris saeculi octagesi-  
mo tertio d. 18 Maii in caelo detexit, quodque de insigni eius-  
dem atmosphaerae amplitudine testari credit, de quo plura le-  
guntur in DIARIO gallico: *Journal des Savans*, et actis erudit. Lips.  
1683. Felicius etiam promtiusque explicari nequit, nisi ex atmo-  
sphaera solari, in qua est immersa copia materiae subtilissimae et  
lucidae, corpus ipsum solis, ad maximam usque distantiam cir-  
cumvolitantis, ortaque ex perpetuis copiosissimisque solis exha-  
lationibus, quemadmodum erudit exposuit Cel. KRAFFT in  
diff. de Atmosphaera solis §. 4. et seqq. Ne quid dicam de Aurora  
boreali, eiusdemque admirandis apparentiis, quarum originem  
ingeniosissimus de MAIRAN Acad. Scient. reg. parif. membrum et  
secretar. in excellentissimo opere, cui titulus: *Traité physique  
et historique de l'Aurore boreale* 1733. atmosphaerae insigni so-  
lem ambienti tribuere haud vana ratione ausus est. Qemadmo-  
dum etiam illustr. IO. BERNOVLLI eandem hanc solis atmosphae-  
ram ex vorticis caelestium hypothesi cartesiana emendata, a priori  
demonstrare studuit, in egregia differr. cuius inscriptio, *Nou-  
velle physique caeleste* §. 24. quae praemium academie scient.  
Parisi. meruit anno 1735.

## S. XXI.

Maior difficultas obicitur circa aërem lunarem eiusdemque  
existentiam stabilierendam, licet luna sit omnium corporum cae-  
lestium terrae proximum. Multi sunt, qui negant, dari eius-  
modi atmosphaeram lunarem, idque ex ea potissimum ratione,  
quod facies lunae ordinarie fuda, sine villa nubium aut ma-  
cularum suspensarum caligine, vel umbra cernitur. Vrget hoc ar-  
gumen-

gumentum imprimis CHRISTIAN. HUGENIVS in *Cosmoteorico* L. II. Hic enim magnis et eximiis saepenumero telescopiis lunam eiusque faciem exploravit, atque perpetuam ibi serenitatem, nullumque nubium vestigium deprehendit. Contrarium vero docet solertissimus HEVELIUS qui in *Cometographia* L. VI. p. 363. testatur; maculas lunae, sereno licet caelo, in eadem lunae altitudine, et elongatione a terra, uno eodemque telescopio quandoque, sed rarius non aequae distinctas et claras esse vias, ut difficuler, tubo etiam praecellent, distingui potuerit. Tuti via in hoc dissidentium certamine incedimus, quando aërem lunae circumfusum, nostro, qui terram nostram ambit, multo rariorem subtilioremque ponimus, nec omni tempore, aequali densitate praeditum. Haec etiam mens fuit veterum philosophorum, quod patet ex fragmento dialogi: *de facie in orbe lunae*, quod inter PLUTARCHI extat opera, vbi THEON ET LAMPRIA disputant, an luna sit habitabilis? quod iste negat, hic defendit; eterque tamen concedit, *lunam ambire auram tenuissimam, pellucidam, spiritibus e corpore lunari emissis refertam*. Diligentior enim lunae contemplatio oculis, tam nudis, quam telescopio armatis, instituta, plura suggescit argumenta, quibus aetherem lunam ambientem, neutriquam ab effluviis esse vacuam, sed nunc plus, nunc minus, quod et cum nostro aere commune habet, refertum demonstrare licet. Primum suppeditant eclipses solis totales, in quibus saepenumero circa solem a luna tectum halo apparuit, sive annulus lucidus, satis viuidus, licet solari lumine multo languidior, et caelum circa solem delitecens adhuc tanta vi luminis imbutum, ut nullae stellae fixae in vicinia videri possent, quod exiguum istud lumen obruat istas. Vedit eiusmodi halonem iam anno 1567. CLAVIVS in totali solis eclipsi, teste KEPLERO in *Astronomia Optica*, p. 302, ex cuius sententia hoc phoenomenon oritur ex aere lunam cingente, et a sole fortiter illuminato, ideoque in tenebris hisce diurnis visui nostro sese siccante. Dubium equidem videri posset, an non limbus iste lucidus, potius fuerit atmosphaera solem ambiens propria claritate gauisa? Sed credibile haud est, hoc fluidum aethereum, adeo fortiter aetherem impellere posse, ut in tam immensa distantia, qua sol a terra abest, visum nostrum excitat.

citare queat. Prouocat etiam laudatus HEVELIUS loc. cit. ad insolitam limbi solaris fluctuationem in nonnullis eclipsibus solaribus, vnde densorem aërem perpetuo mobilem lunam ambientem arguit. Haec enim, vt atmosphaera nostra, in perpetua est fluctuatione, quae tamen tum solummodo in conspectum prodit, quando a radiis solis perpendiculariter incidentibus, fortius illuminatur. Prae caeteris notabiles sunt, pro confirmingo aëre crassiore, circa corpus lunare obseruationes illustris equitis de LOUVILLE, quas in eclipsi solis totali anno 1715. d. 13. May. LONDINI habuit, quaeque referuntur in *Commentar. Acad. reg. scient. Paris anno 1715.* pag 107 seqq. Animaduertit enim vir sagacissimus non solum halonem, cuius paulo ante mentionem fecimus, lunarem discum sole maiorem, ad amplitudinem vnius digiti ambientem, eiusque motum sequentem, nec non ipsi concentricum; (vnde manifestum erat, quod non possit ad solem referri, cuius centrum etiam in initio, vel in fine eclipsis totalis, a centro lunae satis distabat, sed quod pertineat ad lunam) sed et solem, ante eclipsin ex ea parte, quae deliquium erat passura, pallorem induisse, procul dubio, quod aër crassior lunam circumstans prius marginem lunae attrigerit, quam ipsum corpus lunae; iste enim ante marginem solis positus, radios quosdam terricolis intercipit, quare claritas ipsius paulisper imminuitur. Denique et hoc singulare phoenomenon in eadem eclipsi, helioscopii beneficio detexit, in disco nimirum obscuro lunae, lumina cito emicuisse, et extemplo iterum evanuisse, quas scintillationes pro fulgoribus in aëre lunari habuit, quique prōinde haud minus atmosphaeram effluuii lunaribus refertam significarunt. Nec infirmum est argumentum, quod a mutatione figuræ planetarum, quando a luna occultantur, nonnunquam, licet haud semper obseruata, defunitur; haud semper, inquam, quoniam atmosphaera lunae non omni tempore aequa copiosis, et crassis exhalationibus repleta est. Saepius enim animaduersum est, planetam minorem, quando luna eidem proprius admouetur, figuram suam rotundam commutare, in ellipticam siue oualem, ex ea parte, quae lunam respicit. Pertinet huc elegans obseruatio CHRISTFRIDI KIRCHII, quam anno 1729 d. XIX. sept. instituit, ope telescopi 28. pedum circa occultatio-

nem veneris falcatae, a luna (*Transact. philos. art. VII. nro 427.*). Vedit enim, venerem, cum ad lunae discum accederet, falcis cuspides amisisse, et figuram induisse ellipticam; propterea quippe, quia incidentes in atmosphaeram lunae radii refriguntur ad axim, ideoque, per leges opticas, pars planetae per atmosphaeram visa fuit eleuatorius ipsique veneri diductior figura conciliatus sicut soli et lunae prope horizontem visis. Accedit, quod lux planetarum debilior, quam fixarum, adeoque magis refrangatur. Nec obstat, quod in fixarum occultationibus eiusmodi mutatio figurae in fixa nondum sit obseruata. Constat enim, quod nec per praestantiora telescopia distinctam figuram fixarum cognoscere licuerit. Ipse etiam acutissimus CASSINI (in comment. Acad. reg. Paris. ad ann. 1706.) testatur: in nonnullis obseruationibus (occultationum planetarum a luna) visum est nobis, stellam oblongari paullulum, dum se absconderet, ob refractionem nimirum radiorum, in atmosphaera lunae, tum temporis densiore. Denique his pro atmosphaera lunae allatis argumentis addi solet et istud, quod lunae diameter in eclipsi solari minor appareat quam in aequali a terra distantia, extra eclipsin. Quod inde oriri debet, quia radii solis in atmosphaera lunae fortius refracti, vltro hemisphaerium corporis lunaris illuminant, ideoque pars residua obscura ante solem conspicua minor erit hemispherio integro. Similiter sagacissimus de L'Isle anno 1715. d. XXVIII. Iun. obseruauit occultationem veneris interdiu beneficio tubi septem pedum, in qua discus veneris, antequam a luna absconderetur, ea parte, qua lunam spectabat, calore valde rubicundo tinctus fuit, pars altera opposita caerulea apparuit, vterque vero color albante trahit interiecto discriminabatur, ex quo haud minus certo argumentari licet: radios veneris per densorem lunae atmosphaeram transentes, varieque ibidem refractos, ab inuicem esse separatos, coloresque produxisse diuersos.

Evidem Cel. P. ROGERIVS IOSEPHVS BOSCO WITZ in *doctissima Dissert. de Lunae Atmosphaera*, quae prodit Romae 1753, prolixior est in examinanda et destruenda hac atmosphaera lunae, et plura adducit argumenta, quibus sententiam suam, quod corpus lunare solum inuoluatur materia fluida subtilissima, ex homogeneis parti-

particulis constans, corroborare studet, quae singula hic examinare nimis prolixum foret, omnia vero simul sumta nihil aliud probant, quam, quod vltro ipsi largimur, nimirum atmosphaeram lunae esse valde tenuem, nostraque terrestri longe subtiliorem, procul dubio et longe humiliorem, quia corpus lunare plus quam quinquaginta vicibus terra minus; nec omni tempore aequali exhalationem copia refertam, immo, nec ipsa haec effluvia esse eiusdem generis, sed alia alii, quae subinde ex corpore lunari ascendunt, cste crassiora et densiora, ideoque nec halonem in omni eclipsi totali circa solem esse conspicuam, nec reliqua modo adducta phoenomena in omnibus vel eclipsibus, vel occultationibus obseruari. Inde vero neutquam certo colligi potest, omni atmosphaera Cynthiam plane carere, quam dubiam facere eo minus fas est, cum sit luna, quod, obseruationes docent, corpus terraquo orbi simillimum; nimirum ex solidis et fluidis partibus compositum, superficie habere asperam, altissimis montium iugis, profundissimisque valibus obsitam, insulis, item peninsulis stagnisque refertam, et ab aethere vndique inclusam, quapropter extra controuersiam positum esse videtur, aetherem in luna quoque eosdem producere effectus, quos supra §. 12. demonstrauimus. Neque enim ex eo, quod nos in terra atmosphaeram lunae, eiusdemque effectus, vel ob nimiam distantiam a terra, vel ob exilitatem eorundem, vel ob alias rationes non videmus, ad non existentiam eiusdem argumentari fas est, cum multa sint in natura, quae ob dictas rationes oculorum aciem subterfugunt. Sic plura phoenomena, quae ab atmosphaera terrestri originem trahunt, nos quidem in ipsa terra positi, in vicinia deprehendimus, quae tamen felenitis, in maiori a terra nostra distanca, sunt inconspicua: simili ergo ratione et lunae atmosphaera in corpore lunari eiusdemque lumine et claritate varias producere poterit mutationes, quae visui nostro, quem longius inde simus remoti, sese subducunt. Corroboratione equidem visus noster ope telescopiorum, sed plura procul dubio adhuc in caelo latent arcana, quae nec oculis hisce armatis in conspectum prodeunt. Sic v. g. discus lunaris nobis usque apparet circulariter rotundus, nihilominus constat, lunae planetam continuo circa proprium centrum rotari; si quis inde argumentari velit, nullam

nullam ex hac circumgyratione oriri vim centrifugam in luna, a veritate recesserit. Similiter dimensiones sociorum Reg. Scient. Acad. Parif. prope polum borealem, et circa aequatorem docuerunt: diametrum aequatoris terrae exceedere diametrum polarum. Vtrum vero et selenitae, vel oculus noster, si esset inluna positus, hanc inaequabilitatem diametrorum, praecipue sine telescopio, atque micrometro melioris notae animaduertere queat, valde dubium est. Quare si exinde quis terraquo huic globo figuram perfecte rotundam tribuere volit, itidem maxime falleretur. Sufficit, quod ex analogia lunae cum reliquis planetis, ex horum atmosphaeris atmosphaeram istius argumentari liceat.

## §. XXII.

Postquam ergo genesis aëris, eiusque partes constituentes contemplati simus, et eiusmodi aërem corpora cuncta inuolueremus, restat, ut affectiones eiusdem naturales paucis consideremus. Sunt illae vel generales, vel speciales. Generales oriuntur ex natura partium, ex quibus aëri componitur. Speciales vero dependent a qualitate effluviiorum, quae in qualibet atmosphaera aetheri admiscentur. Hae vero eiusdem sunt naturae, cum corporibus ipsis, ex quibus exhalant, quemadmodum supra §. 13. de vaporibus terrestribus ostendimus. Caelestium autem corporum, ut pote planetarum et ipsius solis constitutio, quod qualitates speciales attinet, cum non sit nobis cognita, neque de exhalationibus, earundemque qualitatibus certi quid determinare licet. Hinc generales solum aëris proprie sic dicti proprietates breuiter examinabimus. Sunt illae fluiditas, motus, grauitas, elasticitas, compressibilitas, et extensibilitas, quibus addi possunt pelluciditas, reflexio, et refractio radiorum lucis.

## §. XXIII.

Fluidum esse aërem, inde satis manifestum est, quod cuius pressioni facilime cedit, constat enim ex particulis non continuis, sed contiguis saltim, quae haud arctius cohaerent, ideoque facilime ab inuicem separantur. Similiter, quod mobilis sit aës

aëris prolixa haud indiget demonstratione. Cum enim particulae eius sint fluidae, ad instar reliquorum fluidorum, de loco in locum mouentur, vbi minor est resistentia; sicut etiam ob aetheris elasticitatem eundem occupare locum nequeunt, sed nunc altius elevantur, nunc deprimuntur, ideoque sunt in continua agitatione, quod ocularis inspectio docet, quando per angustius foramen intromittitur in conclave obscuratum radius lucis, particulas hasce aëreas illuminans, ita ut visibles euadunt, cum in perenni quasi falso conspicuntur. Insuper vero etiam a caussis externis duplex in aëre motus produci potest, alter tremulus, et undulatorius, siue vibratorius, alter in directum progressius; iste oritur, quando corpus sonorum aërem subito comprimit, ita tamen, ut se libere relaxare possit; aut vero eundem fortiter iam ante compressum, subito remittit, unde sonus originem habet, de quo prolixius agere non est huius loci. Alter autem motus aëris progressius dicitur ventus, estque nihil aliud, quam fluxus aëris: nec aliter differt ab aëre stagnante, ac fluvius ex lacu progrediens ab ipso lacu. Generalis omnium ventorum caussa est defectus aequilibrii in aëre stagnante, quemadmodum quocunque fluidum praecipitatur verius istam plagam, in qua minorem percipit resistentiam. Tollit vero hoc potest aequilibrium ex multiplici ratione, v. g. per calorem solis, quo aërem in uno loco magis extendit, quam in altero; item si vapores alicubi copiosiores ascendunt, aëremque replent, quam in locis vicinis, quae caussa est, quod venti ut plurimum ab oceano, ex quo maior exhalationum copia exspirat, profluent ad terras continentis. Imprimis vapores varii generis inter se mixti, fermentationem quandam excitant in aëre, ex quo fit, ut venti subsultim, et iterato impetu, ex iterata eructatione effervescentiae prorumpant. Accedit, quod et vapores subterranei, quibusdam in locis, et ex visceribus terrae erumpunt, aut nubes aliquando per ingens spatium subito descendunt, quae singula fortissimas aëris commotiones producere posunt. Caeterum mouetur etiam atmosphaera, quae corpus unumquodque mundum circumstat, vna cum eodem corpore non solum motu vertiginis circa proprium axin, sed et motu revolutionis per universum caelum; neutiquam vero universa atmosphaera, quae ex aethere

D

et

et effluuiis constat, sed sola saltim effluvia, quae proprie ad istud corpus pertinent, cum sint particulae eiusdem (§. 12.); aether autem vniuersum replet caelum, neque cum hoc vel illo corpore mundo communionem habet, sed idem ubique est, quare effluvia cum illo in hoc vel alio loco iuncta, eandem atmosphaeram constituant, sicut aer locum continuo mutat, neutiquam vero substantiam.

## §. XXIII.

Grauem porro esse aerem, nemo hodie in dubium vocabit, postquam antlia pneumatica inuenta est, cuius beneficio aer ex globis amplioribus extrahitur, vt differentia ponderum eiusdem globi aerei repleti et deinceps evacuati desideratum aeris eundem globum replentis pondus manifestet, quod iuxta experimenta, a diuersis naturalium rerum scrutatoribus iterata, ad pondus aquae in eadem massâ proxime se habet, vt 1 ad 1000. quod plurimis experimentis confirmat illuстр BOYLE in nouis *Experim. phys. mechan. experim.* imprimis XXXVI. Integrae vero columnae aereae, quae per omnes tres atmosphaerae regiones extendit, grauitatem Barometra docent; quorum ope inuentum est, columnam huiusmodi atmosphaericam aequiponderare cum columna mercuriali eiusdem basis 28. digitorum, et aquea 32. pedum, vt sit pondus columnae, cuius basis est pes quadratus 2240. librarum. Vnde haud difficulter indicare licet, quantum pondus aeris corpus nostrum vindicunque contingens premat. Cum enim cutis corpus hominis iustae staturae inuolvens in planitiem extensus 20. circiter pedes quadratos contineat, eundem que aer ab omni attere vindicunque premat, pressura integra aequalis ponderi columnae atmosphaericæ, cuius basis habet 20. pedes quadratos, quod 40,000. libras superat; sed quod tantam pressuram haud sentimus, causâ aliqua in eo est, quod aer in corpore nostro contentus cum externo aere communicat, ideoque eidem pressioni aequali vi resistit.

## §. XXV.

Oritur haec grauitas aeris ex grauitate effluuiorum, quibus aether terram ambiens impraeagnatus est. Haec enim, cum sint parti-

particulae eorum corporum terrestrium, a quibus per exhalationem emituntur, eadem etiam vi naturali pollut, quae corporibus et particulis terrauei a natura est insita, nimirum centripeta, qua partes singulae terrae cuiuscunq; sint substantiae intime, hoc est, centraliter vniri nituntur, quae vis sepe per pressioem subjectarum partium, hoc est pondus, exferit. Hinc nec singula effluvia aequae grauia sunt, quia nec corpora, quaelibet terrestria, a quibus exhalant, aequaliter habent grauitatem specificam, et propterea nec aer ubiuis, nec omni tempore aequali grauitate praeditus, de quo experientia per antlam pneumaticam et barometra diuerso tempore, et diuersis in locis facta, abunde testantur; sed quo copiosiores aetheri permixtae sunt exhalationes, quo ponderosiora etiam sunt corpora, e quibus ista effluvia emanarunt, eo ponderosior etiam deprehenditur pes cubicus aeris, nec non integra columna atmosphaerica. Hinc cum caelo sereno atmosphaera sit effluuiis fiscis, qualia sunt halitus terrestres, referta, mercurius in barometro ordinarie eleuator, maiusque pondus atmosphaerae indicat, cum ex aduerso deprimatur tempore nubilo et pluvioso, quando copiosiores particulae, humidique vapores cum aethere coniuncti Neque etiam eandem grauitatem aequalis massa aeris per vniuersam atmosphaeram habet, sed maiorem in infima eius regione, minoremque in locis eleuatoribus; quia inferius crassiores grauioresque exhalationes resident, in altorem vero locum subtiliores et leuiores ascendunt. Hinc et pondus columnarum atmosphaericarum in altioribus locis decrescit in ratione altitudinum. *Celeberrimus* quippe MARIOTTE in *tentamine, de natura aeris*, refert pag. 194. et 195. CASSINUM obseruasse, in summitate alicuius montis in prouincia Gallica, cuius altitudinem diligent dimensione 1020. pedum inuenierat, mercurium barometri  $16\frac{2}{3}$  lineis depressoem fuisse, quam ad radicem montis, vbi ad 28 digitos subsistebat. Similiter BEIRERIVS ad preces Pascallii iuxta huius relationem, in *Tr. de aequilibrio fluidorum in Aeria* prope Clermontium ad montem Puis de Domme varias instituit obseruationes, et ad radicem huius montis reperit altitudinem columnae mercurialis in Barometro 26 digitorum  $3\frac{1}{2}$  linearum, in apice montis vero solum 23. dig. 2 lin. Montis altitudo autem

tem erat 500 hexapedarum parisiensium. Nec dispari ratione idem vir doctissimus inuenit in altitudine 6 hexapedarum mercurium deprimi ad semilineam, in altitudine 27 hexapedarum 2 $\frac{1}{2}$  lin. in altitudine 150 hexaped. digitum vnum cum 3 lineis. Hinc celeberrimus MARALDI integrum columnam atmosphaericam, aequiponderantem columnae mercuriali 28 dig. vel 336 linearum, diuinit in totidem particulas aequiponderantes, primamque horizonti contiguam | grauitati vnius linea mercurialis conuenientem ponit 6 pedum, post hanc vero sequentes crescere iuxta numeros 1, 2, 3, etc. Hanc progressionem omnibus obseruationibus barometro factis super diversis Galliae montibus, satis prope quadrare se deprehendisse, indicat vir laudissimus, cum protrahendae lineae meridianae ab obseruatorio regio per meridionalem Galliae partem, celeberrimo Cassini opus dirigente, operam suam vna cum aliis commodaret; de quo fusi loquitur acutissimus HERMANNI in *Phoronmia* L. II. §. 372. Tametsi vero haec progressio cum Peraultianis obseruationibus non exacte conueniat, sufficit tamen, in praesenti demonstrasse, pondus aeris magis magisque imminui, quo altius aer supra tellurem ascendet, ideoque leuiora esse effluvia in superioribus atmosphaerae regionibus, quam in magis depressis.

### S. XXVI.

Proxima aeris affectio est *elasticitas*, sive vis, qua sese ex statu praeternaturali ad naturalem sua sponte restituere nititur. Patet|hoc ex variis experimentis iteratis vicibus institutis, v. g. quando sphærula vitrea 6. vel 8. digit. in diametro epistomio munita, a radice montis ad eius apicem clauso epistomio transfertur, ibidemque plumula ad orificium epistomii applicatur, apertoque deinceps ibidem epistomio plumula extrorsum mouebitur in altum, clauso vero rursus epistomio, globoque translato ad montis radicem, plumula ibidem orificio imposita aperto epistomio introrsum mouebitur, intra globum. Simili ratione vesica bubula vel porcina flaccida, et complicata, sed obstructum habens orificium ope circumligati fili, in recipiente sensim sensimque intumescente conspicitur, simulatque aer ex recipiente educitur; et si

si vesica tenera fuerit, rumpi subinde obseruatur, a solo elatere pauxilli aëris in vesicae rugis latentis. Taceo alia argumenta plura, quae pro demonstrando elatere aëris a BOYLEO, MARIOTTIO, IO. BERNOVLLI aliisque feliciter tentata sunt, et in illustris WOLFI *aerometria* legi poterunt, singula vero evidenter docent, aërem remota resistentia sua sponte dilatari, et ad naturalem statum quantocuyus restitui.

### §. XXVIII.

Producit hanc elasticitatem aëris aether, qui cum effluviis terrae aërem componit. Hunc enim esse ex sua natura elasticum, supra §. II. demonstrauimus; hanc ergo vim et aëri, cuius praecipua pars est, communicat, ea tamen ratione, ut ex celeberrimi EVLERİ sententia l. c. superius §. 10. millies et ex illustris NEVTONI calculo ibidem l. c. 70000 vicibus elasticitas aetheris puri aëris elasticitatem supererit. Tametsi itaque effluvia aetheris permixta vel proprio pondere, vel vi externa comprimantur, in angustius spatium aetherem ex poris cedere cogant, quam primum tamen externa vis remouetur, aetherique liberior accessus conceditur, hic ob vim suam natuam elasticam, se se rursus per poros massae effluviorum insinuat, eandem expandit, aëque ad pristinum statum reducitur; eamque ob causam integrum aeri vis elastica haud incommode tribuitur. Nec opus est, pro demonstranda hac elasticitate, varias particularum aëris fingere figuræ spirales, serpentinas et similes. siue easdem instar lamellarum complicabilium, vel instar filamentorum in spiras contortorum, et le postea evoluentium concipere, quemadmodum CARTESIVS in *Princip. philos. P. VI. n. 45. seqq.* item BOYLE in *novis experimentis de vi aëris elastica p. 19. seqq.* una cum aliis statuerunt. Haud incommodo itaque dixerimus, elasticitatem aetheri competere principaliter et radicaliter, aëri vero per participationem vel communicationem.

### §. XXIX.

Excipit equidem acutissimus HERRMANNI in *Phoronomia L. II. §. 327.* posita hac hypothesi non aërem tantum, sed omnes pror-

prorsus liquores vi elastica praeditos esse debere, qua tamen liquores carent. Nam si aëreac moleculae ideo a se inuicem recedere conantur, quod rapidissimo aetheris motu per poros aëris indefinenter circulantis, eiusdem aëris moleculae a se inuicem abigantur et repellantur, cur quaelo, inquit, in reliquis liquoribus moleculae non eodem modo ab inuicem repelluntur ab interfluente aethere, qui non minus trans liquorum poros, quam trans aëris meatus fluere et moueri debet? Praeuidet vir sagacissimus responderi ad hanc obiectionem posse, disparitatem prouenire a crassitate molecularium, ex quibus liquores componuntur, nec non a longe maiori liquorum densitate, quam sit aëris densitas, et ob has duas rationes fieri, ut moleculae liquorum non eo successu, quo aëris particulae, a se inuicem ab interfluente aethere abigantur, cum sint ipsae particulae abigendae valde magnae, et aetheris trans liquorum poros fluentis copia valde fit parua respectu aetheris; hinc regerit statim ad hanc responsonem; fluida eo velocius moueri solere, quo angustiora sunt loca, per quae fluunt; sic fluminis in diuersis sectionibus fluentis velocitates, sectionibus esse reciproce proportionales: ac propter hanc rationem velocitatem aetheris fluentis per porum aliquius liquoris L esse ad fluorem eiusdem fluentis per porum aëris A, ut amplitudo aëris A ad porum liquoris L. Atque in diuersis liquoribus pororum similiter positorum amplitudines, h. e. distantiam duorum vicinorum elementorum in liquoribus esse in reciproca subtriplicata proportione densitatum, solidique demonstrat, velocitatem aetheris trans aquam ad velocitatem eiusdem trans aërem esse proxime, ut 92. ad. 10. Ideoque, quia fluidorum compressiones in corporibus, in quae agunt, sunt in duplicata ratione velocitatum, vim aetheris in hoc casu ad abigendas moleculas aëris esse, ut quadratum 92. ad quadr. 10. proxime, id est, ut 8464. ad 100. adeoque aquam habere plus quam octogesimam vim elasticam, quam aér, quae tamen neutiquam in aqua deprehenditur. Enim vero vniuersa haec doctissima obiectione non ferit nostram hypothesin, iuxta quam elasticitas aëris neutiquam deriuatur a velocitate aetheris poros corporum fluidorum transeuntis, quae in radia-

radiationibus solum locum habet; quaeque extra controuersiam citius fiunt in aqua, quam in aëre, sed ab ipsa elasticitate aetheris, vi cuius effluvia leuiora, ob minorem suam resistentiam, quae a sola grauitate oritur, citius et faciliter ab iniuicem abiguntur et expanduntur. Quibus et hoc accedit, quod pori aquae non sunt puro aethere, sed aëre, effluviis quippe referto, repleti; ergo non integrum fluidum in poris aquae contentum particulas contiguas, per vim elasticam distendit, sed aliqua solum eius pars, cuius impulsu eadem particulae, ob grauitatem suam maiorem magis resistunt.

### §. XXVIII.

Praeter grauitatem et elasticitatem aëri etiam competit *pellacitatis, reflexio et refractio radiorum lucis*, nec non *comprehensibilitas et expansibilitas*. Pellucidum esse aërem, quotidiana docet experientia. Siquidem de die radios solis, et tempore nocturno lucem fixarum, planetarumque lumen sensibiliter transmittit; ut in terram et oculos incident et quaelibet alia corpora illuminare queant. Constant enim radios radii ex virgine columnis particularum aetherearum, quae a corporibus lucidis impelluntur, et celerrime promouentur. Cum itaque aether per uniuersam atmosphaeram sit diffusus, radii quoque per atmosphaeram transcendent, ut sit aër, aqua multum pellucidior, cum fundus maris in longe minori profunditate videri nequeat. Quandoquidem vero haec atmosphaera vaporibus quoque et halitibus, hoc est, crassioribus moleculis referta est, radii lucis in has incidentes nec transitum inuenientes, ab iisdem resilunt, et hinc inde reflectuntur, vnde claritas diurna, et crepuscula matutina et vespertina oriuntur. Denique, cum sit aethere puro crassior, radii lucis ex hoc, in istum, h. c. ex fluido subtiliori in densius incidentes diuersimode refringuntur ad axin, de quo observationes astronomorum circa altitudines solis atque fixarum, praecipue, quando horizonti viciniores sunt, nec non colores nubium, iridum, et caeli rubedo testantur.

### §. XXX.

Restat aëris condensatio et rarefactio, siue expansio. Dicitur quippe corpus rarefieri, quando dilatatur, maioremque ad-

E

quirit

quirit dimensionem, quam prius habebat; et condensari, quando in minores reducitur dimensiones, hoc est, in minus spatum, quam antea possidebat. E. g. quando spongia prius aquae immersa, in molem intumescit multo maiorem, et tunc fortiter compressa, inque eo statu retenta, non ad minorem modo locum redigitur, quam occupabat, priusquam comprimeretur, sed ad minorem, quam quem occupabat, anteaquam etiam humectaretur (ROB. BOYLE *def. doctr. de elatere et grauit. aduersus obiectiones FRANCISCI LINI. C. III.*). Expanditur vero aér per aetheris elasticitatem atque calorem; hic enim consistit in motu particularum aetherearum, per quem elasticitas aetheris augetur, et quo fortior haec est, eo fortius quoque in effluvia circumstantia agit, eademque magis distendit, vt amplius spatum occupent. Habet itaque aér, cum sit corpus fluidum, hoc cum reliquis fluidis commune; haec enim singula per calorem expanduntur, vt docent termoscopia et aqua in olla igni admota, quae, dum particulae ignis culinaris, atque cum his ignis elementaris, sive aether copiosius ollam ingrediuntur, ob crescentem elasticitatem aetheris accumulati effervescent, tandem ebullit. Hac ratione vi caloris aér iuxta experimenta BOYLEI et MERSENNI adeo dilatari potest, vt spatum septuagesies maius, quam antea occupet. Immo verosimile iudicat laudatus BOYLE I. c. Exper. VII. fieri posse, vt, si vicina corpora aéris expansioni non resisterent, iste limites suos fortassis ad quantitatem priori ducentes maiorem, et ultra dilataretur. Similiter per solam aetheris in statu suo naturali vim elasticam aér expanditur, quando vis externa resistens remouetur, quod fit per antlam pneumaticam, in qua aér cylindrum replens, per agitationes emboli ex cylindro extrahitur, ideoque post primam statim agitationem aér prius in solo globo, sive sub campana contentus expanditur per spatum campanae atque cylindri, ideoque subtilior euadit, et continuatis eiusdem emboli agitationibus magis magisque attenuatur.

## §. XXXI.

Contrahitur ex aduerso aër per frigus, hoc enim ex imminuto aetheris motu originem dicit, cessante nimirum hoc motu, decrescit etiam elasticitas, quare effluvia ob suam gravitatem arctius coēunt, et condensantur, minusque proinde occupant spatiū, quod descensus spiritus vini in thermometro, frigido caelo docet, nec non halitus oris, qui sub aëre calido invisibilis est; sed sub frigido caelo instar fumi ex ore egreditur. Comprimitur etiam aër a pondere incumbente, quod elasticitatem aetheris superat, ideoque hunc ex poris aëris recedere cogit, et sic effluvia ob suum pondus arctius coēunt in angustius spatiū. Hinc aër interior a superioris imminentis pondere comprimitur, ut densior euadat. Denique et arte comprimi potest, per vim exterius admotam, quemadmodum obseruamus in sclopetis pneumaticis, quod instrumentum, referente BLONDELLO in arte ejaculandi bombas, primus invenit, et HENRICO IV. Galliarum Regi obtulit MARINVS ciuis Lizezenſis. In his enim ope emboli eo plus aëris crassioris intruditur, clausoque epistomio detinetur, et quo saepius emboli agitationes repetuntur, eo magis aër intrusus incrassescit, et in spatio octies angustiore detinetur. Hinc tanta est aëris in angusto spatio compresſi, violentia, ut, aperto rursus epistomio, globum sclopeteo immisum magno cum impetu eliciat, et hic per afferem satis crassum in distantia 50 plurimumque passuum trajecti queat. Imo, celeb. BERNOVLLI in commercio epistolico cum illustri Leibnizio T. I. p. 301. obseruavit, aërem eo usque in tali sclopeteo condensari, et deinceps tanto cum impetu et velocitate erumpere, ut sub forma visibili corporis oblongi solidi et opacis compareat, et dicto citius iterum euanescat: certo indicio, aetherem externam tanta vi in columnam hanc aëream irruere eandemque dispergere, ut in momento quasi dissipetur. Potest etiam aër comprimi ex ingenti effluviorum valido conatu ascendentium copia, quemadmodum fit in cellis cauponariis, vbi recens vinum fermentatum copiose collocatur, nec non in metallifodinis aliquis speluncis subterraneis, in quibus aër nimis terrae exhalationibus constipatus, adeo respirationi est incommo-

commodus, vt fossores aliqui in eiusmodi cellas vel cryptas descendentes exi respirationis inopia mox deliquio collabescant. Limites huius compressibilitatis aëris ponere perquam difficile est, tentarunt tamen laudabilis conatu plures naturae scru-tatores solertissimi: inter alios, sequentes: ROBERTVS BOYLEVS, qui inspectante, et aestimante 10. WALLISSIO, aëris intra tu-bum vitreum hermetice sigillatum contenti portionem, ad qua-dragesimam prioris suae extentionis partem redigit (*in def. do-trinae suae de elitere aduersus Francisc. Linum.* Item du HAMEL de corporum affectionibus L. I.), qui solo frigore aërem ad vigesimam loci partem coarctari deprehendit; nec non Honoratus FABRI, ex cuius obseruatione (L. II. Tr. I. Hyp. I.) nullo labore negotio aëris ad trigesimam extentionis partem comprimitur. Conferendo itaque minimam, ad quam aëris condensando reduci potest, di-mensionem, cum maxima, ad quam dilatando excrescit, saepius laudatus BOYLEVS arguit, illum se habere ad hunc, vt 10121 ad 520000.

### §. XXXII.

Hac ergo ratione singulare aëris affectiones, eiusdemque stu-pendi effectus ex ipsa natura huius fluidi, et aetheris elasticitate haud difficulter explicari possunt. Nec opus est, materiam quan-dam ab aethere et effluviis corporum naturalium diuersam fini-gere, quae vniuersum orbem terraqueum, et reliqua cor-pora mundi totalia ambiat, quod in praesenti de-monstrasse sufficiat.



Ung. VI 5g  
f

ULB Halle  
004 186 672

3



56.

KD18  
VD17.

Zuni 2000 RU





DISSERTATIO  
DE  
A E R E  
CORPORA MVNDANA  
TOTALIA AMBIENTE

QVAM  
ADSISTENTE GRATIA DIVINA  
PRO LOCO  
IN AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE  
RITE OBTINENDO

HABEBIT

IOANN. ERNEST. BASILIUS  
WIDEBURG

PHILOSOPHIAE PROFESSOR PUBLICVS ORDINARIVS,  
MATHEMATIVM PROFESSOR SVBSTITUTIVS

R E S P O N D E N T E

IO. GODOFREDO SZTVPKAY

*Leutschouia - Hungaro, Stud. Theolog.*

D. V. MARTII, CIO IO CC LXIII.

IENAE  
AERE MARGGRAFIANO.

